



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

19. De patria potestate in filios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

Alicubi iure speciali, si pater adoptans filios habeat naturales, filius adoptatus non succedit ab intestato, nec pater potest ei relinquere, nisi tantam partem, quanta potest extraneo relinquere.

Quando is, qui adoptat, est auus, vel proauus maternos, vel etiam paternus, si nepos, aut pronepos extralorum potestatem erat, sed solum in potestate patris, ut pote conceptus eo tempore, quo pater erat iam emancipatus. Tunc adoptatus transire omnino in illorum potestatem liber à potestate patris, & solum succedit patri adoptiuo, tum ex testamento, tum ab intestato: non enim succedit patri naturali: proinde ius habet dicendi nullum esse testamentum, vel saltem in officiosum esse aui, vel proauis, si in eo fuerit prætermisus, vel exheredatus abque iusta causa, vel si fuerit hæres institutus, sed non in integra portione sibi debita.

Quod si pater adoptans filios habeat naturales & legitimos, vel adoptiuos, vna cum illis adoptatus succedit in bonis æqualiter, sed integrum est patri adoptanti talem filium emancipare, & eo ipso filius soluitur patria potestate illius, neque plus iuris habet ad bona illius, quam si nunquam fuisset ab eo adoptatus. Quod si tunc pater naturalis superstes sit, recidet in eius potestatem, & illi perinde succedit, ac si nunquam in adoptionem transisset.

Hæc omnia habentur in lege penult. §. si vero pater, C. de adoptione. & lege penult. ff. eodem tit. Et si tibi parens, C. de suis, & legitim. hæredibus, §. Sed bodis, versic. Si vero pater. Institutionum. De adoptionibus, §. Sed in omnia, & Instit. De hæreditatibus, qua ab intestato deferuntur.

Alicubi tamen speciali iure statutum est, si pater naturalis habeat filios naturales & legitimos, ne filius adoptiuus succedat cum illis ab intestato, nec pater possit illi ex testamento relinquere maiorem partem bonorum suorum, quam possit extraneo in testamento legare.

C A P. XIX.

De patria potestate in filios.

PRIMO queritur, Quid appellatione patriæ potestatis intelligatur? Respondeo, intelligi ius legibus Romanorum constitutum, quo filius procreatus ex iustis ac legitimis nuptiis est in potestate patris, ratione cuius filius non est persona sui iuris, sed alterius. De patria potestate extat Titulus 9. in Institutionum lib. 1. & in Cod. lib. 8. tit. 47. De patria potestate: cui Titulo respondet in Digestis lib. 1. tit. 6. De iis qui sui, vel alieni iuris sunt. Filius itaque, qui est in potestate patris, dicitur filius familias: & pater, qui in sua potestate liberos habet, paterfamilias. Porro patriam potestatem leges vocant sacram, & diuino nexu & vinculo copulatam. l. cum in adoptionibus, versic. primo. Cum enim, C. de adoptionibus. Inde in sacris patris esse filium dicimus, pro, in patris esse potestate, quæ sacra est, hoc est, diuino nexu colligata. l. vlt. C. de bonis mater. Et l. Cum in adoptionibus citata, §. Sed ne articulum, versic. cum enim.

Secundo queritur, Quisam sint filii in potestate parentum? Respondeo, in l. Item, in potestate, ff. De his, qui sui, vel alieni iuris sunt, hæc haberi: In potestate nostra, sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptiis procreauimus. Et in l. Nam ciuium, sequenti: Patres familias sunt, qui sua potestatis sunt, siue puberes, siue impuberes: filii familias, qui sunt in aliena potestate: nam qui ex me, & uxore mea nascuntur, in potestate mea sunt: item qui ex filio meo, & uxore eius, id est, nepos meus, & nepotes, æque in mea sunt potestate, & pronepos, & proneps, & deminceps ceteri. Sic ibi. Idem habetur in Instit. §. in potestate, & §. l. ius, De patria potestate. Verbi gratia, Titius habet in sua potestate filium, & nepotem, & neptem ex filio, & ita ceteros omnes descendentes per sexum virilem, siue ipsi mares sint, siue feminae: sed qui ex filia Titii nupta nascuntur, non sunt in potestate Titii, sed in potestate patris eorum. Sic in Instit. De patria potestate, §. ius autem. In descendentes igitur ex filia, cessat ratio patriæ potesta-

tis, eo quod filia nubendo transit in ius & potestatem mariti, ac proinde partus, cum ventrem sequatur. l. partum. C. de rei vendicat. filii qui procreantur ex filia, transeunt in ius illius, in cuius potestate est maritus.

Quæres quid dicendum sit, si auus, in cuius potestate erant filius, & nepos ex filio, moriatur? Respondeo, in l. nepotes, ff. De his qui sui, vel alieni iuris sunt, scriptum contineri: Nepotes ex filio mortuo auo, reciderent in filii potestatem, hoc est, patriæ sui: simili modo, & pronepos, & deminceps, vel in filii potestatem, si viuere, & in familia manserit, vel in eius parentis, qui ante eos in potestate est. Decedente igitur parentum, seu progenitorum primo, qui descenderunt per sexum virilem ex eo, recidunt in potestatem proximi descendentes superstitis; vt mortuo proauo, & superstitie auo, filii, & nepotes incipiunt esse in potestate ipsius aui, & mortuo auo, pater incipit eos in sua habere potestate, Instit. De tutela, §. Nepotibus vero, & §. sequenti. Patria itidem potestas non est, nisi in filios ex iustis nuptiis susceptos; quare filii spiritus, eo quod patrem nominare nequeant, vel quia incertus sit pater, vel eos pater ex concubitu legibus damnato procreauerit, in patria potestate non sunt. Immo filii etiam naturales extra legitimum etiam matrimonium suscepti, in patria non sunt potestatis. l. item in potestate, supra citata; & Instit. de nupt. §. 1. & §. si aduersus, & l. nam ciuium, & l. seq. ff. de his qui sui sunt, vel alie.

Tertio queritur, quo iure sit patria potestas constituta? Respondeo, in l. Item in potestate, ff. De his, qui sui, vel alieni iuris sunt, & Instit. De patria potestate, §. l. ius autem, dicitur, patriam potestatem esse propriam ius ciuium Romanorum, teste Dionysio lib. 2. antiquit. Roman. qui formas viuendi Græcis condiderunt ciuitatibus, certum quoddam tempus admodum breue præscripserunt, quo liberi essent subditi patribus: quidam ad annum pubertatis tertium, quidam tantisper dum illi ætates manserint; nonnulli donec publice inter viuos adscripti fuerint, quemadmodum c. Solonis, Pittaci, Charondaque legibus acceperant, quorum magna sapientia celebratur apud Aegyptios, teste Diodoro lib. 2. bibl. pœna mortis non puniebatur pater, qui filium occidisset in sua potestate situm.

Sciendum est, patriam potestatem ortum quidem suum & materiam à natura sumpsisse: sed incrementum & formam à legibus & iure ciuili: vt proinde dictum sit, eam esse ius proprium ciuium Romanorum, eo quod nullis hominibus talis ac tanta est in suos liberos potestas, qualis quantaque est ciuibus Romanis. Aristoteles libro primo. Polit. cap. 8. scribit, naturæ lege, ac præscripto liberos parentum in potestate subesse: quod enim procreant, & genuerit, in se præstet, & amicitie ratio & seruetur possidat. Sic ille.

Ex quo perspicitur, iuris esse naturalis, vt filius iustis patris obtemperet, & eius sit potestati subiectus: at quod ita sit in potestate patris, vt in eum pater certa quedam iura habeat, id Romanorum leges fecere.

Quarto queritur, An mater mortuo patre, habeat patriam potestatem in filium, & nepotem, & ceteros ex filio descendentes? Respondeo minime, quia iura ciuilia, & leges tantummodo eam potestatem patri tribuerunt. Instit. de adopt. §. Femina, & Instit. de hæred. qualitat. & differ. §. Ceteri, quo sit, vt patre defuncto, quamuis mater sit superstes, filius sit sui iuris effectus.

Quinto queritur, Ex quot & quibus causis patria potestas existat? Respondeo, ex tribus. Primo, ex iustis nuptiis: filii enim naturales tantum, aut qui legitimi non sunt, in patria potestate non habentur. l. item in potestate, ff. De his qui sui iuris, vel alie, sunt. Secundo, ex hoc, quod filii naturales efficiuntur legitimi, vel per subsequens matrimonium, vel eo quod offeruntur Curia, vel per restitutum Principis, vel quod tales nominantur à patre. Instit. de nupt. §. Aliquando. Tertio ex adoptione, seu potius ex atrogatione, vt superius dixi, qua quis filium extraneum,

qui alieni iuris non est, vel quempiam, qui sui iuris est, sibi alienat, & proprium facit. *l. Si pater familias ff. De adoptio. Et Glossa in Inst. de nupt. §. Aliquando.*

Sexto quaeritur, Quot & qui sint patris potestatis effectus? Glossa in Inst. De patria potesta. §. Inuicem, septem praecipuos enumerat eiusmodi potestatis effectus. Primus est: Quicquid filius acquirit praeter castrense, aut quasi castrense peculium, pleno iure patri acquiritur, hoc est, numeratur in bonis patris, in cuius potestate est. Nam profectus peculij dominium & proprietatem, & usufructum, & administrationem habet pater: Aduentitij peculij dominium & proprietatem est penes filium: usufructus pertinet ad patrem.

Secundus effectus: Pater filium in sua potestate constitutum olim iure Romanorum poterat vendere, cui voluisset. Teste Dionysio libro secundo, Romulus legislator maiorem patribus Romanis suos filios potestatem concessit, quam heri in suos seruos: seruum enim semel venditum, si à nouo domino manumittatur, sui iuris esse constituitur: filium non ante sui iuris fieri Romulus voluit, quam ter à patre suo venditus, ter à suis dominis manumissus fuerit. Hæc ille: qui postea subiungit, Decemuiros in quarta tabula eandem legem tulisse, neq; enim ausi legem à Romulo datam expungeret, voluerunt, vt patribus in filios plena potestas vendendi esset. Sic enim lex duodecim Tabularum habet: *Si pater filium ter vendidit, filius à patre liber esto.* Ita lex. Si filius itaq; semel, & iterum venditus esset à patre, & emptor primus & secundus eum manumississet, in patris potestate redibat, ita vt tertio ipsi patri liceret filium vendere: à tertio vero emptore manumissus, non amplius in patris potestate reuertebatur. Legimus in Moscovia, vt scribit Sigismundus, liber Baro, in comment. rerum Moscovi. patri licere filium quater vendere.

Et quia barbara hæc & immanis lex Romuli esse videbatur: succedentibus sæculis mitior & benignior est facta. Nam eodem teste Dionysio, Numa Pompilius eam temperavit, quoniam legem dedit, vt si pater filij uxorem ducere permitteret, quæ ei sacrorum, & pecuniarum locia ex legibus fieret, non amplius filium vendendi ius haberet. Hinc originem traxerunt venditiones illæ imaginariæ, quarum meminit Iustinianus Imperator in Institution. *Quibus modis ius patria potestatis soluantur, §. Præterea.* Introdulta enim est emancipatio filij, hoc est de manu traditio; quæ hoc modo per imaginariam venditionem fiebat. Adhibitis enim quinque, vel septem testibus, pater naturalis emancipabat filium patri fiduciario, emptori scilicet filij, aliquot nummis pretij loco ab eo acceptis.

Deinde pater fiduciarius addebat hæc verba: *Huic ego hominem ex iure spirituum, mecum esse aio: iste mihi emptus est, hoc arene aque libra:* deinde ære percutiebat libram, idque ære dabat venditori. Postremo pater fiduciarius emancipabat emptum filium patri naturali, à quo deinde manumittebatur. Quod ideo fiebat, vt si filius ille mortuus fuisset ei in hereditate, naturalis, non fiduciarius succederet. Postea lex illa Romuli ab Imperatoribus adhuc mitior atque benignior reddita est, vt constat ex l. liberor. c. si quis, c. de patribus, qui filios suos distraxerunt, Nam in l. liberor. Diocletianus, & Maximianus, ita constituerunt: *Liberos à parentibus neque venditionis, neque donationis titulo, neque pignoris iure, aut alio quo libet modo, nec sub prætextu ignorantia accipientis, in alium transferri posse, manifestum iuris est.* In lege si quis, citata, Constantinus concessit, vt patri causa inopia & egestatis, liceret filium filiamve suam vendere. Si quis, ait ille, propter nimiam paupertatem egestatemque, viduus causa filium, filiamve sanguinolentus vendiderit, venditionem in hoc tantummodo casu valere.

Disputant iuris civilis interpretes, in hac lege, vt restatur Couarruias libro tertio, varia, resolut. capitulo decimo. quartæ, num. 4. sit ne legendum (sanguinolentus) an potius, sanguinolentus. Accursius, & Albericus sentiunt esse legendum (sanguinolentus) vt sensus sit, patrem esse san-

guinolentum, vt pote sanguine, & capitaliter puniendum, quippe qui sine iusta causa filium vendiderit. Alij legunt, sanguinolentos, & referunt ad filios à patre vendendos, quia eorum sanguine alatur: vel quia eos vendendo quasi necare videatur: eo quod seruitus sit morti similis: vel quia pater filium exponens mereatur eapitis sententiam, & poenam: sed certe cum ea lege huiusmodi sensus non congruunt, quoniam lex concedit patribus liberam facultatem vendendi filios causa sui viduus, ergo eos vendendo sanguinolenti non sunt: Nec filij ideo dicuntur sanguinolenti, quasi ipsa seruitute interempti. Ergo illud est verius, quod Alciatus & Tiraquellus, quos citat Couarruias loco citato, & eos sequitur, dixerunt esse legendum (sanguinolentos) & referri ad filios, qui tales dicuntur, quia infantes nimirum recens nati sunt, & adhuc sanguine menstruo imbuti, & madentes. Sanguinolenti enim dicuntur infantes, cum recens nati exponuntur, vt nutriantur. Vnde in Codice Theodosiano titulus extat, [De iis qui sanguinolentos emptoribus acciperent] & loquitur de Infantibus expositis, liberis, & seruis: & deinde alia lex dicit: *Si quis, à sanguine quempiam huiusmodi comparauerit, &c.* Vbi interpret ait: *Si quis infantem expositum à sanguine emerit.* Præterea in eadem lege, *Si quis,* statuitur, vt quotiescunque emptori iustum pretium offeratur pro filio, aut filia ita venditis, aut æquale aliud mancipium, is qui ita venditus fuerat, non solum liber fiat, sed etiam sit ingenuus, ac si nunquam seruus effectus esset.

Quæres, an egestatis etiã causa liceat patri filium pignori dare, aut cum alia re commutare, aut alio quolibet contractu alienare? Respondeo, licere iure civili id facere, *l. Sed & quo §. 1. ff. De pignori. c. l. 2. in Cod. Theodosiano, De alimentis, qua inopet parentes de puberibus patere debent,* alioqui patri non licebat filium pignori obijcere. *l. vlt. ff. qua res pignori vblig pos. c. l. qui filios. C. eo. ti.*

Si iterum roges, an postea pater pinguiorem fortunam adeptus, debeat in foro conscientie filium venditum redimere? Respondet Couarruias loco citato, alios etiam auctores securus, deberè. Quæres demum, an patri liceat egestatis causa vendere filium extra patriam potestatem constitutum? Negat Glossa in prædicta lege, *Si quis,* id licere facere iure civili: immo si filius sit matrimonij vinculo adductus, etiam si iure communi adhuc in patria potestate maneat, vendi à patre iure non potest, quia id in vxoris detrimentum cederet. Ex quo etiam fit, vt ait Couarruias loco citato, patri non licere, etiam viduus causa vendere filium sacris ordinibus initiatum, etiam si facer ordo filium à patria potestate non eximat. Hinc patere potest, iure civili matri non licere egestatis causa filios vendere, vt ait Glossa, quia hæc facultas est legibus patri concessa ratione patris potestatis, quam mater in filios non habet.

Duo hic merito in dubium vocantur; vnum est, An si patri imminet æqualis, aut grauior aliqua necessitas præter egestatem, liceat ei iuris civilis auctoritate filium vendere? vt si in seruitutem redigendus esset, captiuus abducendus, aut necandus, aut membro aliquo corporis priuandus. Glossa, quam sequitur Couarruias loco citato negat, quia lex tantummodo concedit, vt id patri liberum sit causa egestatis. Quidam alij, vt ex ipsorum sermone mecum habito audiui, affirmant ea ratione, quia lex ad similia trahi potest: præsertim cum similibus causa, aut grauior, & maior existat. Mihi vero sententia secunda magis placet.

Alterum est, An iure naturali parentibus fas sit causa egestatis filios vendere? Couarruias loco citato. Sor. libro quarto, de iust. quaestione secunda, articulo secundo, c. in quarto, distinct. 29. quaestio. 1. art. 4. Angel. Seruitus, num. 1. ad finem. Siluest. verbo. emptio. quaestio. 3. num. 6. Rosel. emptio. num. 26. Tabien. emptio. num. 7. ad finem. Artil. homo num. 2. & passim alij fatentur, id iure naturali permitti, & hoc tam matri quam patri. Id colligi-

2. Esd. 3

Exo. 21

Deut. 15

Hier.

34.

ur ex eo, quod 2. *Nabemix cap. 5. populus fame pressus ait: [Fili nostri, & filia nostrae multae sunt nimis: accipiamus pro precio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.] Imo aiunt, etiam prater inopiam ius esse absolute, & simpliciter parentibus filios vendere. Nam Exod. 21, dicitur: Si quis vendiderit filium suum in famulam, non egredietur sicut ancilla exire consueverunt. Et Deut. 15. Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebraeus aut Hebraea.*

Mihi vero probatur quidem, quod aiunt, iure naturali utriusque parenti licere causa egestatis vendere filium. Dubium tamen videtur, an id sit licitum absolute, & simpliciter. Nec maxime, quod ex veteri lege profertur, praesenti negotio quadrare videtur: quandoquidem apud Iudaeos, is qui erat Hebraeus, non simpliciter, & in perpetuum vendebatur, sed ad tempus: anno enim septimo liber fiebat, si volebat; sin minus, ad quinquagesimum annum seruire quidem lege cogebatur, at ipso anno quinquagesimo in libertatem pristinam redibat: ac proinde Hebraeus precio quidem locabatur alteri, non tamen vendebatur in perpetuum. Vnde apud Hieremiam Dominus: *Cum completi fuerint, inquit, septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebraeum, qui venditus est ei, & seruiet tibi sex annis, & dimittes eum ad te liberum. Et non audierunt patres vestri me, nec inclinauerunt aurem suam.*

Tertius effectus patriae potestatis, apud Romanos erat; ut pater in filium ius, & potestatem vitae, & necis haberet. Vnde Dionys. lib. 2. scribit. *Legulator Romanorum, omnem usquequaque patri in filium, idque per omne vitae ipsius tempus, potestatem dedit, sive illum vincere, & in custodia habere, sive virgine cadere, sive vincium in rusticis operibus resinere, sive occidere vellet: quamvis filius Rempublicam gerat, magistratusque maximos obtineat, & propter Respublicam studium carus sit suis. In l. libertatis. C. de patriae potestate, ait Constantinus: libertati à Maioribus tantum impensum est, ut patribus, quibus ius vitae in liberos, necisque potestas olim erat permissa, libertatem eripere non liceret. Cuius legis sensus est: Patribus in filios, veteris Romanis ius vitae, & necis tribuisse; non tamen concessisse ut filios tanquam fruos sibi subiectos haberent. Poterant quidem patres filios aliis vendere; sed eos sibi seruos subijcere non item. Et in l. in suis. ff. De libertis, & posthumis in fine Paulus ait: Haec ex causa liberi, licet non sint heredes testatur, domini tamen sunt. Nec obstat, quod liceat eos exheredare, quos & occidere licebat.*

Quarta potestas vitae, & necis in filios Romanis cum Peris, & Scythis communis: nam teste Aristot. lib. 8. *Ethic. ad Nicomach. cap. 10.* Apud Peras potestas patris in filios tyrannicum habebat imperium, quale est heri in Turcis, & ut refert Sigismundus liber Baro, apud Moscovitas, pater in filios necis, & vitae habet imperium: postea tamen abrogata est praesca illa Romanorum: patrum potestas iure civili. Nam ff. ad legem Corneliam de sicariis l. inauditum, dicitur: *inauditum filium pater occidere non potest, sed accusare eum apud Praefectum, Praesidemque provinciae debet. Hoc ideo dicitur, quia ut dixi, apud veteres pater de liberis capitaliter, citra iudicium statueret poterat, quod in hac lege sublatum esse dicitur.*

Item, in l. si filius, C. de patriae potestate. Alexander ait: *Filium, si pietatem patri debitam non agnoscit, castigare iure patriae potestatis non prohiberi, acriore remedio usurus, si in partem contumacia perseverauerit, eumque Praesidi provinciae oblaturus dicitur sententiam, quam in quoque dicit voluerit. Nam ut Iustinianus scribit. In Institut. De his qui sui, vel alieni iuris sunt, §. in potestate, & Caius l. 1. De his qui sui, vel alieni iuris sunt, ex Constitutione Antonini, qui sine causa seruum occiderit suum, non minus puniti iubetur quam si alienum occiderit, sed & maior asperitas dominorum, eiusdem Principis constitutione coercetur: in filios scilicet multo minus licet.*

Differat igitur ius vitae, & necis, quod patres habebant in filios, ab imperio vitae, & mortis, quod penes dominos quoque erat in seruos: quod hi ab heris quovis

tempore interfici poterant, illi vero à patribus, non nisi causa, aut propinquorum consilio adhibito, aut per se cognita. Vnde Valerius Maximus lib. 5. cap. 8. scribit in hunc modum: *Cassius filium, qui Tribunus plebis Agrariorum legem primus tulerat, multisque aliis rebus populariter animos hominum amoris sui deuinctos tenebat, postquam illam potestatem deposuit, adhibito propinquorum, & amicorum consilio, affectu regi crimine domi damnauit: vel veribus affectum necari iussit, ac pecuniam eius Cerei consecrauit. Deinde idem auctor refert aliud exemplum Manij Torquati, qui in consimili facto, ac consilio quidem necessarium indigere se credidit: sed criminis de quo accusabatur filius, cognitione suscepta, domi confedit, solusque utriusque parti per totum biduum vacauit: ac tertio die plenissime diligentissimeque auditis testibus, ita pronunciauit: cum Sillanum filium meum pecunias à sociis accepisse mihi probatum sit, & Republica, & domo mea indignum iudico, protinusque à conspectu meo abire iubeo. Tam tristi patris sententia percussus Sillanus, lucem vitaeis intuitus non sustinuit, suspensioque se proxima nocte contempsit.*

Aliud idem exemplum commemorat A. Fuluij, qui vir Senatorij ordinis, cum filium iuuenem, & ingenio, & literis; & forma inter aequales nitentem, prauo consilio amicitiam Catilinae secutum cognouisset, & in castra eius temerario impetu ruentem, in medio itinere abstrusum supplicio mortis affecit: praefatos, non se Catilinae illum aduersus patriam, sed patriae aduersus Catilinam genuisse.

Ex Seneca etiam libro primo, De Clementia constat, alium patrem aduersus filium sententiam pronuniasse; adhibito tamen Octauiani Augusti consilio; qui patris sententiam leniuit. Nam quando filium pater in patricio deprehensum non grauius damnauit, quam ut iubeat eum exulare Massiliam; annua illi praestans, quanta praestare integro solebat, cogniturus, inquit, Tullius de filio, aduocauit in consilium Casarem Augustum: venit in primas penates, assidit. Pars alieni iudicii fuit, non dixit, imo in meam domum veniat; quod si factum esset, Casari futura erat cognitio non patriae. Audita causa, excussisq; omnibus dixit Caesar, relegandum quo patri videretur: non culeum, non serpentes, non carceres decernit, memor non de quo conseret, sed cui in consilio esset, mollissimo genere poena contentum esse debere patrem dixit. Tam simplicem potestatem patribus in filios Romulus, & alii concessisse videntur, ne filii obsequia recusarent: non enim putarunt patres eo seuitia processuros, ut abique causa filios necarent: & id conducere maxime ad continentos in officio liberos crediderunt: nam facile iuuenes leuitate quadam parentum monita, & iussa contemnunt, impij, & nefarij in parentes inuadunt: vnde refert Dionysio libro secundo, prohibuit Romulus vllam prolem necari triennio minorem, nam tunc filius parentes contumelia afficeret nequit. Acerbitas vnde dicitur plerumque caute & bene viuendis disciplina esse solet.

Quartus effectus patriae potestatis est, ut pater cum filio in iudicio agere non possit. In l. si nulla, ff. De iudiciis, sic habetur: *Si nulla nobis esse potest eum eo, quem in potestate habemus, nisi ex castrensi peculio. Ita lex ubi Glossa, inter patrem, & filium iudicium posse consistere docet in bonis castrensis, aut quasi castrensis, ut habetur in l. si quis uxori, §. 2. & 3. ff. De furis, & l. si dubitatur, §. ult. ff. De fideiussor.*

Item, cum in iudicio causa agitur sit nece filius in potestate patris, l. 1. C. De patriae potestate. Item, ut ait, ibi dem Glossa, in ijs causis, in quibus filius potest patrem iure compellere, ut eum emancipet; si peccat item filius alimenta à patre. Si quis à liberis, ff. De liberis, agnoscent. Praeterea si filius, cum patre agat nomine alterius, scilicet ut tutor, curator, vel procurator.

Quaes, an iure Canonico in vniuersum possit filius cum patre in iudicio agere? Glossa in capitulo quaritur, secundum quod 7. & Glossa item in capitulo vltimo. De iudiciis in sexto, lenit legem praedictam ciuilem, *Si nulla, & l. non solum C. de bonis, qua libera, in iure Canonico locum non*

habere;

habere; ac proinde licere fito iure Pontificio generatim contra patrem in iudicio causam agere Sed verius est, quod docet Abbas in c. Non est, De sponsal. in 6. lo. Andr. cap. ult. de iudic. Ius Canonicum a iure civili nequaquam in hac parte differt; nisi quod in causis spiritalibus & in causis dependentibus ab eisdem, & in quibus agitur de parte a peccato auerrendo, filio licet cum patre in iudicio contendere: Et hoc testat quod habetur in capitulo quaritur, secunda questio. 7. Et in capitulo ultimo. De iudicij, in sexto; vt si agatur de vxore filio reddenda, que a patre impeditur, aut detinetur, ne eam filius habeat; aut agatur de dote, que dependet a matrimonio, cap. 2. de dote restituenda post divorcium.

Deinde quaeres, An si pater peculium filij aduentitium dissipet, dilapidet, ius habeat filius patrem in iudicium vocandi, vt eius peculij administratione priuetur? Respondendo, habere: vt si absque iusta causa pater aliquid ex peculio aduentitio filij male insumat. Bartolus, & alij in l. vltima. §. Minores. C. de Sententiam passis, ex l. Imperator. ff. Ad senatusconsultum. Trebel. Sed quid si pater ex bonis filij aduentitij aliquid vendat alteri, vt fundum, vel domum? Bartolus in leg. Imperator citata sentit ius non esse filio agendi contra patrem in iudicio, quia post obitum patris interdictum est ei rem suam vendicare, & petere ab emptore. Sed verius existimo, quod ait Gregorius Lopez lib. 2. sit. 2. partia. 3. post: filium contra patrem agere.

Quintus effectus est, vt filius familias in iudicio contra alium quemlibet, sine patris consensu agere non possit. l. vltima. §. 1. C. De bonis qualibet. Nec item filius nomine proprio in iudicio respondere; nec testari potest, vt superius dixi. Hoc etiam intelligendum est, quando lis non mouetur super bonis castrensis, aut quasi castrensibus filij: tunc enim filio licet, absque vilo consensu patris in iudicio contra alium stare. l. prima. §. vltim. & Glossa. ibidem. ff. ad senatusconsultum. Macedon. At vero cum filius peculij aduentitij administrationem, & vsum fructum habet, aut quia eum pater liberum ipsi filio relinquit: aut quia sic liberum filius ab alio adeptus est: tunc quamuis administratio, & vsum fructus sit penes filium, item tamen de ipso peculio filius, nec mouere, nec defendere in iudicio potest, absque patris auctoritate, & consensu. Glossa & ceteri in l. vltim. §. vbi autem. C. de bonis, qua liberis. Porro licet filio ius non est, sine consensu patris licet contra alium moueadi, sic nec ei ab alio in iudicium vocato licet respondere, absque eiusdem patris auctoritate, & assensu: iudicis tamen officio compelli potest, vt pro filio respondeat, vel suum consensum praestet, cum alius contra filium causam agit. Glossa in l. vltima. in principio in verbo, imponenda. C. de bonis, qua libere. §. cap. vltimo de iudic. in sexto, & Glossa ibidem, in verbo regulariter.

Sextus effectus potestatis est: vt patet etiam in iure filio familias, habeat administrationem, & vsum fructum in Peculio ipsius filij aduentitio. Institutus. §. primo. Per quas personas nobis acquiritur.

Septimus effectus est: vt inter patrem, & filium civilis aliqua obligatio esse non possit. Institutus. De inuili stipulation. §. Item inuili.

Vltimo quaeritur, qui filij apud veteres Romanos iure civili, ex iustis nuptijs procreati dicebantur; vt in patria potestate essent? Sciendum est, olim iure civili apud Romanos, iustas nuptias vocatas fuisse eas, quae legitimae essent, in quibus nihil posset lege, & iure desiderari. Sic etiam iusta vxor dicebatur. l. Si Senator. ff. de ritu nuptiarum. Et leg. Si vxor, Ad legem Iuliam. De adulterio. Pariter iusti liberi appellabantur. l. Cum quis §. primo. C. De naturali. liberis.

Porro ad iustas nuptias, & legitimas, multae leges, & iura civilia requirebantur: In primis, vt contrahentes, ciues Romani essent, hoc est, liberi homines. Institutus. de nuptijs, in primo vade inter seruos nuptiarum quidem esse poterant, sed non iustae, atque legitimae, hoc est, quas ipsum ius Civile probaret. Inter seruos non matrimonium, sed contuber-

nium dicebatur. l. Cum ancillis. C. de incestu nuptiarum. Aushant. de nupt. §. si vero decretum vers. si vero ab initio Iure tamen Canonico inter seruos nuptiae sunt. cap. 1. de coniu. seru. Cum peregrina iustae nuptiae, Institutus. de nupt. in principio, aut cum consanguinea, vel affine in certis quibusdam gradibus esse non poterant: quos gradus enumerat Iustinianus Institutus. de nupt.

Deinde iure civili iusta, ac debita aetas requirebatur in nuptijs. hoc est, vt foeminae duodecim annis natae essent: masculi vero puberes, hoc est, quatuordecim annorum essent; ita enim pubertatem Romanae leges in nuptijs aestimant: Institutus. de nupt. in principio. licet in alijs desiderent annos decem, & octo. Larrogata. ff. de adoptione.

Tertio necessarius erat parentum consensus, si filij familias nuptias contraherent: Hoc enim, inquit Iustinianus. Institutus. de nupt. §. primo, & civilis, & naturalis ratio suadet: Civilis quidem, quia eo iure liberi sunt patris potestati subiecti; naturalis vero, quia natura filios parentibus obedire docet.

Quarto exigebatur consensus eorum, qui nuptias contraherent: nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, l. nuptiae. ff. de reg. iur.

Vltimo necesse erat, vt maritalis coniunctio non esset nefaria, incesta, aut quoquo modo lege damnata. l. Nemini. C. de nuptijs. Nefariae nuptiae sunt, quae in ea ascendentes & descendentes lineae homines contrahuntur: Incesta vero, quas ex latere, siue ex tranuerso coniunctio veteris gradibus homines, aut affines contrahunt. Quoquo modo interdictae nuptiae dicebantur, eas, quas inuolant homines aliqua lege civili a nuptijs prohibiti: vt si Senator libertam, vel vilem foeminam vxorem duceret, l. Papia. ff. de ritu nuptiarum. l. Si libertam. C. De nupt. aut si parentes, cum liberis adoptiuis matrimonio iungerentur. Institutus. de nupt. §. ergo: 1. aut si tutor, vel curator, vel filij eorum duxissent vxores, eas, quas in tutelam, vel curam administrarunt. C. De interdicto matrimonio inter tutorem. l. 1. Aut si praetres iungeret sibi matrimonio foeminam ex pronuncia sibi subiecta. l. est contra. C. de nupt. l. 1. C. si quacunque praedictus potest. De his omnibus Glossa in Institutus. de nupt. §. Sum; & alia, in verbo, enumerare.

Ex iustis itaque nuptijs filij procreati, in patria erant potestate, ceteri non item, siue extra coniugium; siue ex nuptijs, non tamen iustis nascebantur.

Anima duertendum etiam est, eos filios qui naturales tantum dicebantur, quod ex iustis nuptijs orti non essent, sed ex naturali matris, & foeminae coniunctione civilibus legibus, nec probata, nec improbata, quamuis naturali, & diuino iure damnata, fieri solitos apud Romanos legitimos duobus modis. Institutus. §. aliquando. Primo, quia offererentur Curiae, hoc est, admittebantur in ordinem Curialium, qui erant muneribus obnoxij, quae municipijs obiri solebant: & hoc fieri poterat, aut per patrem inter viuos, vel si testamento Curialium filium scriptis; aut per ipsum naturalem filium qui post obitum patris, neque alijs filijs legitimis superstitibus, seipsum Curiae offerrebat: l. Cum viuum, Cod. De naturali. liber. §. Et quoniam, & Aushant. Quibus modis naturales efficiantur sui. Huiusmodi igitur filij oblari Curiae iuris fictione, & auctoritate, non vere legitimi erant. Secundo modo naturales filij fiebant legitimi per subsequens matrimonium, puta, si pater antea ex vnica concubina, domi habita tantquam vxore filium susceperat, & eam deinde in vxorem ducebat, filius legitimus reddebatur, succedebatque aequaliter patri, cum reliquis liberis, post matrimonium natis. Sed necesse erat, vt concubina, & partus, & conceptionis tempore libera fuisset, & talis foemina, cum qua tunc temporis matrimonium contrahi potuisset. Institutus. de nupt. §. aliquando. Hi quoque filij duobus modis facti legitimi, patris potestati subiecti erant. Institutus. de nupt. §. citato.

Præterea, per adoptionem praesertim eam quae dicitur Arrogatio, filij extranei in propriam familiam,

& tributum adfciiebantur; *Inst. de adoptione, in principio.* Fuit enim adoptionis origo antiquissima, neque solum Romani, sed etiam Græci, & vetustissimi Hebræi filios sibi adoptare consueverant: vel quod onera matrimonij detrectarent: vel quod sterile esset coniugium: vel quod liberi morerentur vel quod mali, improbi, ac degeneres essent. Sic Moses adoptatus est à filia Pharaonis: Iacob adoptavit Manassen, & Ephraim ex filio Iosepho nepotes. Sic apud Romanos Scipio Africanus, cum ipsius filius ob valetudinem generare non posset, Pauli Æmilij Macedonici filium adoptavit: Julius Cæsar Augustum, Augustus Tiberium, Traianus Adrianum, Iustinus, Iustinianum adoptasse, ab historicis perhibentur.

Est autem adoptio, actio legis, per quam extraneus in alienam familiam, & in ius filijfamilias cooptatur. Qui adoptabatur, adoptantis patris sui apud Romanos prænomine, & nomen & cognomen sic assumebat, ut suum duntaxat nomen, idque pauli inflexum, & immutatum retineret. Sic C. Octavius, dictus est postea C. Julius Octavianus: T. Pomponius vocatus est Q. Cecilius Pomponianus: & L. Æmilius, P. Cornelius, Scipio Æmilianus.

Ius adoptionis in tribus consistebat, nimirum, in iure familiæ, nominis, pecuniæ, siue hæreditatis, & factorum. Nam filius adoptatus transibat in familiam patris, & eius nomen assumebat in ipsius hæreditate, & bonis, & in iure etiam factorum, hoc est, in sepulchri, siue sepulture iure succedebat. Filij itaque adoptivi, quemadmodum & legitimi, patriæ potestati, & iuri subiecti erant.

CAP. XX.

Quibus modis ius patriæ potestatis solvatur.

PRIMO queritur, Quot modis ex iure civili filiusfamilias à patriæ potestate liberetur? [In Institutione, Quibus modis ius patriæ potestatis solvatur] septem species enumerantur, quibus filius extra patriam potestatem constitutus sui iuris efficitur. Prima est, mors naturalis, quæ, ut reliqua omnia, ita etiam patriæ potestatis ius, & nexum dissolvit, ita tamen, ut si eo tempore, quo avus decedit, nepos sit in eiusdem potestate, in patris sui potestatem recidat, qui in potestate aui paterni, non autem patris sui erat: Nam qui alterius iuri subiectus est, alios in potestate sua habere non potest: si vero iam pater suus obierat, vel sui iuris factus fuerat, mortuo auctore, sui iuris nepos efficitur. *Institution. quibus modis ius patriæ potestatis solvatur. §. primo.*

Secunda species solvendæ patriæ potestatis, est mors civilis patris, aut filij: Est autem mors civilis, in Insulam deportatio hominis perpetua ob maleficium homini capitale. *Institut. quibus modis ius patriæ potestatis solvatur. §. cum autem.* Nam olim, cum Romani improbos, & Republicæ perniciosos homines detestarentur, & nollent in eis carnicinam exercere, & nihilominus à malis hominibus societatem civilem cuperent expurgare; primo facinorosos interdicto ignis, & aquæ muldebant, eo quod sicut his duobus, calore, & humore, vitam hominis constare, ita interdicto eorundem usu, non credebant consistere, quibus se indignos, malefactoris suis facinorosi reddidere. Deinde vero Insulis adiectis imperio, deportandi improbos homines vsus increbuit, qui velut mortui, eicdi in alias sedes migrare credantur, ac proinde in Insulas, quasi in alterum orbem delati, omnibus exuti bonis, inter mortuos connumerati sunt in his, quæ iuris civilis essent.

Causa deportationis, erat atrox aliquod flagitium: effectus vero, amissio civitatis, familiæ, connubij, patriæ potestatis, testamenti factionis, & omnium eorum, quæ iure civili sunt introducta: ea enim quæ sunt iuris gentium, & naturæ, deportati retinebant, ac solum civitatis, & iuris civilis commodis spoliabantur. Patriæ igitur potestatis vinculum cum sit iuris civilis, solvabatur, siue pa-

ter, siue filiusfamilias in Insulam deportaretur. Nam si ut pater, qui iura civitatis amisit, & peregrinus factus est conditionis, ciuem Romanum in potestate habere non potest: ita in pari sortuito casu, nec filius peregrinæ cognationis patrem ciuem Romanum agnoscit.

Addit vero Iustinianus *ibidem*: [si ex indulgentia Principis, deportati in Insulam, restituti fuerint, in omnibus pristinum statum recuperant. Relegati autem patres in Insulam, in potestate liberos retinent; & è contrario, relegati filij in parentum potestate remanent.] Sic Iustinianus, *ibidem*.

Relegatio, pœna est, qua quis propter crimen aliquod ablegatur in Insulam, vel absque tempore, vel vt intra certum tempus ibi commoretur: & in hoc relegatio est mitior deportatione, quæ est perpetuum in Insulam exilium, ac proinde relegatio iura civitatis non aufert, nec patriæ potestatis nexum.

Dubitat Glossa *ibidem*, an publice proscripti, qui per Italiam frequenter damnantur; censeri debeant inter Relegatos, an inter Deportatos? Et respondet, eos inter Deportatos esse habendos, ac proinde civiliter mortuos: quæ sententia privatis Principum, & civitatum, ac popularum statutis, & legibus recepta est. Frequentior tamen iuris civilis interpretum opinio, eos cum Relegatis non cum Deportatis connumerat.

Tertia species, qua patriæ potestas finitur, est, cum pater sit servus pœnæ ob commissum aliquod scelus: & hæc servitus etiam mors quædam civilis est: nam pœnæ servus, quod ad actus civiles spectat, mortui censetur, eo quod illis humanæ civitatis iura adimantur. Pœnæ autem servi sunt, qui ultimo supplicio damnantur: statim enim & civitatem, & libertatem amittunt. *l. qui vltimo. ff. de pœnis.* Item, in metallum damnati, qui grauioribus vinculis premebantur; & damnati in opus metalli, puta salinarium, sulphuriam, qui leuioribus vinculis tenebantur. *l. aut damnatum. §. Inter eos. ff. de pœnis.* Item, in opus publicum perpetuo dati: nam si ad tempus tantum dantur, non sunt servi pœnæ, sed nominis tantum infamiam incurrunt. *l. quidam. ff. de pœnis. l. penult. §. Minuitur. ff. de varijs, & extraordin. cognit. Glossa in l. capitalium, in verbo, datur ad tempus. ff. de pœnis.* Item, damnati ad bestias, qui in schola venatoria exercitati, conficiendis in theatro bestijs obijciuntur; ac proinde pœnæ sunt servi. *Aut damnatum. §. quicumque. ff. de pœnis.* Item bestijs obiecti vel subiecti, qui in nullam pugnam damnantur, sed magis, vt à feris, tanquam inermes, statim dilanentur. *l. pœna. ff. ad legem Pompe. de pœnis.* Hæc omnia habentur in *Inst. Quibus modis ius patriæ potestatis solvatur. §. Pœna servus.* At iure nouissimo Authenticorum constitutum est, vt nemo ingenuus, ex supplicio pœnæ servus amplius efficiatur. *In Authent. de nuptijs. §. Quod autem, & §. Quia vero, collat. 4.*

Quarta species patriam solvendi potestatem est, si filiusfamilias, Patriam dignitatem nactus sit; ait Iustinianus *ibid. §. Filiusfamilias.* Item, si fiat Conf. Item in *l. Curialib. C. de Decurionib. in lib. 10.* numerantur 12. dignitates, quibus filius extra patriam potestatem egreditur. Item & in *Authent. Quæ dignitatibus collat. 7. §. Palam vero est.* Dignitas Episcopalis patriæ potestatis iura dissolvit, vbi dicitur: *Palam vero est, nullum esse, qui nesciat, præ omnibus sanctissimis Episcopis ipsa ordinatione, etiam suam potestatem acquiri. Qui enim omnium sunt spirituales Patres, quo modo sub aliorum potestate consistunt? Sed convenit etiam eos huiusmodi potiri honore. Et hoc ex hac nostra legislatione fieri.* Sic ibi. Sed hæc lex, non quia civilis, vim & locum habet in Episcopis, sed quia iure Canonico Episcopo patriæ potestate solvitur est. Nam in *cap. Per venerabilem, qui filij sunt legitimi,* habetur: *Per simile quoque id videtur posse probari, cum eo ipso, quod aliquis ad apicem Episcopalis dignitatis attollitur, eximitur à patriæ potestate.* Sic Pontifex. Ex quo fit, vt Cardinalis etiam dignitas ius patriæ potestatis solvat. *Glossa in extrauagan. Execrabilis, de preben. inter communes, verbo, solemnitate.* Bartolus in *tractat. de prestantia Cardinal. prima parti.*